



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XCVI. An omnibus paruulis prouiderit Deus remedia sufficientia ad
salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

70
Excatio, &
aggravatio
quid sint,

Deum quæ
ratione sit
causa illorū.

Cur pecca-
tum deat
esse ex igno-
rantia.
Augustin.

71

28.
Apocal. 2.

Bisariam co-
tingit obdu-
ratio.

enim est atque non videre, quæ agenda sunt, ta-
meti nonnunquā voluntatem reuocetur, fumen-
do effectum pro causa. Imo etiam aggravatio, quæ
idem est quod obturatio, ad intellectum spectare
videtur. Sicut enim excatio, quia visui opponi-
tur, primo conuenit intellectui, cui etiam tribuitur
visio: sic etiam cum aggravatio opponatur auditui,
est enim in Scriptura aggravatio aurium, Isaia 6.
& Zacharia 7.) & hic ad intellectum pertineat, ipsa
etiam aggravatio, intellectus potius esse videtur.
Vtraque autem reperitur in eo, qui peccat; quia
neque ita videt, neque ita audit, quæ agenda sunt,
ut ea prosequatur: sed perinde se habet ac si non vi-
deret, nec audiret, patiturque defectum aliquem in
intellectu, ut disp. 98. c. 7. & 1. 2. q. 77. a. 2. fusius tra-
ctabimus. Huius obsecrationis, & aggravationis
ex parte intellectus, Deus est causa, denegando vo-
cationem illam peculiarem, quam sciebat ita con-
gruere arbitrio, ut ipsum efficaciter inclinaret:
eamque vocationem petit Ecclesia hebdomada
prima Quadragesimæ feria 4. ad vespertum, cum
ait: *Mentes nostras, quæ sumus domine, lumine tuæ clarita-
tis illustra, ut videre possimus, quæ agenda sunt, & quæ recta
sunt, agere, valeamus.* Et Dominica infra octauam E-
piphaniæ: *Vota, quæ sumus Domine, supplicantis populi
caelesti pietate prosequere, ut quæ agenda sunt, videant, &
ad implenda quæ viderint, conualescant.* Atque hoc mo-
do intelligendus est Aug. lib. 2. de peccat. merit. & ve-
nis. c. 19. cum docet peccatum accidere ex ignora-
tione, hoc est, ex defectu considerationis, quæ de
causa vocationem quæ mouet ad operandum, &
inclinat affectum, appellat ibi certam scientiam.
Lib. autem de prædest. sanctior. c. 8. de ijs, qui prædicato-
re extrinsecus sonante, non credunt, inquit, non
credere, quia intus à Patre non audiunt. Deus e-
nim dicitur aperire autem intellectus, immittens
eam cogitationem, quæ intellectum ad fidem in-
clinat. Idcirco dominus Luc. 8. & Ioan. Apoc. 2. di-
cunt; *Qui habet aures audiendi, audiat;* hoc est,
aures non obturatas, sed idoneas, ut audiat. De-
nique huius obsecrationis, & aggravationis, qua-
tenus est solum in intellectu, Deus ita est causa per
varias cogitationes, quas immittit, ut illam velit, &
disponat: quicquid enim præcedit peccatum, ut su-
perius dixi, non tantum Deo permittente, sed etiam
volente, & ordinante fit, absque initione tamen
peccati. Nec propterea ille vim patitur, cuius intel-
lectus exaccantur: ei namque semper offerretur ea
cogitatio, cum qua resistere posset, si vellet, ut dis-
p. 98. c. 7. & 8. dicemus. Neque aliquis queri potest
de Deo, quod alia sibi cogitatio denegetur, ut dis-
p. 91. c. 18. notatum est.

Postremo obserua, obdurationem voluntatis
bisariam contingere, primum in quouis peccato,
cum Deo vocanti resistimus: deinde post multa
peccata, cum Deo diu, multumque vocanti obniti-
mur. De priori loquitur August. lib. 1. ad Simplicia. q.
2. quo pacto idem est, aliquem à Deo obdurari, at-
que Deum illius non misereri, ut ibidem ipse expli-
cat. Huius autem permissionis, & non misericor-
diæ, quæ præcedit primum peccatum, non datur
causa ex parte nostra, ut ex superioribus, liquet. De
posteriori vero loquitur idem Aug. lib. 3. quæst.
q. 68. eamque ex occultissimis meritis provenire
docet.

An omnibus paruulis prouideri Deus
remedia sufficientia ad salutem.

Huiusmodi remedia omnibus paruulis fuisse prouisa, non
nulli opinantur. cap. 1.

Communis, & verior sententia c. 2.

Diluuntur rationes prioris opinionis. c. 3.

CAPVT I.

Huiusmodi remedia omnibus paruulis fuisse prouisa
nonnulli opinantur.

QVædam sunt in hæc, quæ apud bene sentien-
tes omnino indubitata sunt, neque in contro-
uerfiam debent reuocari: primum est, ad hoc ut
paruuli in lege Evangelica saluentur, non sufficit
ipsis applicari fidem parentum sine baptismo, so-
lo signo crucis, aut inuocatione sola Trinitatis, sed
aut alio modo: cuius oppositum contra omnes
Doctores docuerat Caiet. 3. p. q. 68. ar. 2. & 11. in con-
trau. tamen Romæ impressione iussu Pij V. Pont.
Max. prædicti commentarij expuncti sunt. Quare
certum est, degentes in vtero materno, & editos
in lucem, qui sine baptismo moriuntur, damnari:
cuius vices martirium ex peculiari privilegio in
paruulis supplere potest, ut multi affirmant. Nec
vero placet, quod ait Gabriel in d. 4. q. 2. d. 2. G. 1.
Deum potentia sua, quæ non est aligata Sacra-
mentis, aliquos paruulos sine baptismo fortasse
saluare: nam licet Deus id facere possit, cum tamen
in Scriptura sua statuerit vnicum remedium pa-
uulis in baptismo: non est asserendum, nunc ali-
quos sine illo salutem consequi.

Deinde certum est, meritum Christi, remedia
que omnia, quæ tam pro paruulis, quam pro adul-
tis instituit, ex se sufficientia esse ad salutem, atque
eam operari, si re ipsa applicentur. Controuersia
igitur non est, an Christus instituerit media ex se
sufficientia omnibus paruulis, sed an illa ita pro-
uiderit, & disposuerit, ut in libera facultate alicui
ius applicationem illorum reliquerit. Nam si hæc
media, quæ ex se sufficiunt, ita manent disposita, ut
nulla humana diligentia alicui paruulo possint ap-
plicari, non dicemus illi fuisse prouisum medium
sufficiens: quia ei solum dicitur sufficiens remedium
prouideri, cui applicari, & prodesse potest. Propo-
sita igitur difficultas est, an ita Deus prouiderit pa-
uulis hæc media, ut aliqua humana diligentia eis
possint applicari.

Hæc sane res extra controuersiam esset nisi qui-
busdam recentioribus visum fuisset, Deum omni-
bus paruulis media sufficientia hoc modo prouide-
disse, etiam si per accidens fuerint impedita: id
quod de paruulis etiam, qui in vtero materno mori-
untur, asseruerant. Probant autem primum quia
licet, multis paruulis non fuerint applicata huius-
modi remedia; inde tamen solum sequitur, non fuisse
illis illis prouisa remedia efficacia, non autem ef-
ficaciter fuisse negata sufficientia, nam & multis adul-
tis remedia, quæ Christus reliquit, non fuerunt
applicata, ob id tamen nullus audeat affirmare con-
trarium: nullo modo minus sufficientia sufficientia
paruulis non fuisse prouisa media sufficientia
tamen efficacia concessa non fuerint. Deinde
Christus pro omnibus paruulis, & adultis motus
est, quandoquidem voluit, sicut & eius ex se ipso
so & voluntate primaria, etiam post lapsum Adam
omnes homines saluos facere: ergo omnibus me-

fuit passione sua remedia saltem sufficientia, eaque ipsis concessit: alioqui dici non posset, pro omnibus mortem subijisse, & omnes voluisse saluare. Qui enim non concedit alicui media necessaria ad aliquem finem, vt illis vt possit, si velit, vel alius pro illo, ita vt sola alicuius culpa illis priuetur; quoniam pacto potest voluntate antecedenti talem finem illi desiderare? Hæc sunt, quæ nonnulli Theologæ professores nostri temporis docuerunt, quod seuera nimis videretur sibi doctorum sententia; qui asserunt, aliquibus paruulis remedia sufficientia fuisse à deo denegata.

CAPVT II.

Communis, & verior sententia.

Inter Scholasticos doctores, qui scripta sua prælo mandarunt, nulla de hac re dissensio est, sed omnes eodem modo sentiunt: primum, quibusdam paruulis, editis nimirum in lucem, & ijs, qui negligentia parentum in vtero materno moriuntur, prouisa fuisse remedia sufficientia, quæ applicari illis possent, licet adulterum negligentia non fuerint applicata; deinde quibusdam paruulis non fuisse à deo villo modo concessum, posse humana diligentia applicari sufficientia remedia, siue editis in lucem, cum aqua non conceditur, siue in vtero materno vi sola naturæ morientibus. Sic docent Gregorius in l. d. 46. q. 1. post medium Ricard. a. 7. Gab. in 4. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 2. S. Thom. in 4. d. 6. q. 1. a. 1. q. 1. ad 1. Dried. de c. & redem. Gen. hum. tract. 5. c. 3. & indicat Doctor. de natura, & gratia c. 10. in fine.

Prior pars huius sententiæ probatur ex Prospero libro 2. de vocatione Gentium c. 20. alias 8. vbi de paruulis inquit: Illi paruulorum dierum homines ad illam pertinent gratia partem, quæ semper impensa est vniuersis nationibus, quæ vtiq; si bene videntur eorum parentes; & ipsi per eosdem inuuantur. Vbi Prosper non loquitur de omnibus paruulis in vniuersum. Primum, enim cum dicit, paruulorum dierum homines, de editis solum in lucem intelligit: qui n. in vtero moriuntur, non possunt dici, paruulorum dierum homines. Deinde, cum ait, Quæ vtiq; si bene videntur eorum parentes; & c. non obscure insinuat, de ijs tantum loqui, quibus parentum diligentia potuit subueniri. Sunt ergo, ex sententia Prosperi, aliqui paruuli, quibus sufficientia remedia ita concessa fuerunt, vt adulterum diligentia parentum videatur, vel aliorum, ipsis applicari possent. Atque eadem ratio videtur esse de ijs, qui in vtero moriuntur: hi enim remedijs sufficientibus priuari sunt non à deo, sed ab hominibus in quorum potestate positum erat, illa applicare.

Posterior pars non minus expressa est ab Augustino multis in locis. Libro de bono perseuer. cap. 12. in fine postquam concessit, quosdam paruulos negligentia parentum sine baptismo mori; ibi nihilominus Dei secretum iudicium locum habere, qui negligentibus parentibus salutem paruuli commisit, subiungit: Quid dicam, quod paruulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat: Et lib. de gratia, & lib. arb. c. 22. in principio, de gratia baptismi, quam contendit sine meritis, sola Dei benignitate donari, sic ait: Et aliquando filijs fidelium præstat hæc gratia, eum occulte Dei prouidentia in manus priorum quomodocunque peruenit: aliquando filium filij non eam consequuntur, aliquando

impedimento existente, ne possit periculis subueniri. Apertius libro de natura, & gratia c. 8. Ego autem dico, paruulum natum in eo loco, vbi enim potuit per Christum baptismum subueniri, morte præuentum idcirco talem fuisse, id est sine laqueo regenerationis exijisse, quia esse aliud non potuit. Hanc sententiam mutatis verbis sumpsit ex Aug. Paulus Orosius in Apologia pro libertate arbitrij, satis post med. Quibus in locis plane ostendit Aug. aliquibus paruulis non potuisse remedia applicari.

Præterea propter peccata parentum, aut propter eorum negligentiam paruulos remedio illo non caruisse perspicue indicat epist. 105. post medium. his verbis: Quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præueniuntur, & baptismo præcipiuntur infantes; cum è contrario sacrilegorum, & inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrent; & paucis interpositis: Quæ tandem hic merita præcesserunt, si eorum cogitaueris paruulorum, nulla sunt propria: vixitque est illa viassa communis: si parentum attenderis, bona sunt illa, quorum filij repentinis mortibus sine Christi baptismo perimuntur. Quod si negligentia, & culpa aliqua parentum perijissent iam inuenirent Pelagianum aliquod parentum peccatum, propter quod gratia regenerationis paruulis non esset cõcessa. Cum igitur Aug. nullum malum meritum fuisse existimet, consequitur ex eius sententia non negligentia parentum, sed deo ita volente paruulos necessario perijisse. Quare quod statim subiungit de paruulo, qui somnolentia matris, aut nutricis suffocatus interijt, non ita intelligit, vt culpa earum obierit. Quod n. mater, aut nutrix somno correpta puerum suffocet, absque vlla illarum culpa accidere solet. Sed clarissime id ipsum docet epist. 107 post medium, vbi gratia ex meritis non dari sic probat: Cum multis non detur paruulis (scilicet gratia) & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus ministris quoque volentibus, ac paratis, deo nolente, non detur, cum repente antequam detur expirat, pro quo vix acciperet currebat. Cum August. plane sentit prosper lib. de ingrat. Prosperi cap. 20. & 21.

Ratione vero probatur, quoniam certum est absque aliqua negligentia, & culpa parentum, aliquos paruulos, vi sola naturæ in vtero, aut extra, tam cito mori, vt nulla humana diligentia eis subueniri possit. Vbi ergo Deus eis prouidit remedia sufficientia, quæ aliorum cura ipsis applicari possent? Dicunt aduersarij, in causis naturalibus, quæ ex se sufficientes erant, vt paruuli in lucem eederentur, & baptisma reciperent: at vero quia Deus permisit, alijs contrarijs causis eas impediri, ideo non potuerit paruulis remedia prodesse, non quod ex se Deus expresse voluerit, applicationem remedij impedire. Cæterum effugium hoc inutile est. Primum, quia licet deus solum permisisset partum infantium naturalibus causis impediri, hoc satis erat, vt diceremus remedia sufficientia, quæ humana diligentia possent applicari, paruulis non concessisse; quamuis expresse ea non negasset. Deinde quis audeat dicere ordinem illum causarum, qui partum in tantis impediuit, vel in tali tempore, & loco natum interemit, non fuisse speciatim, & minutim à deo præstitutum, & ordinatum? nam si ex duobus passibus, qui alle veniunt, vnus ex illis non cauit in terram sine patre vestro, Matth. 10. quis aliter, aliquos paruulos, aut in vtero materno, aut extra,

Tertium.

Orosius.

Quartum.

Augustinus.

Quintum.

Ratione con-

firmatur.

7

Prima ad-

uersariorum

responsio.

Refutatur.

Primo.

Secundo.

Matth. 10.

extra.

extra, sine Dei providentia ita ordinante interire. Cum enim omnium rerum, & euentuum præter peccatum Deus sit auctor voluntate, & providentia sua, negari nequit mortē infans in viro, vel extra, tali loco, & tēpore ab eo fuisse præfinitam, non solum permittente, & sinente agere causas, sed etiam ordinante, & volente. Quare non dubito, manifeste eos falli, qui hanc seriem causarum diuinæ permissioni, non voluntati, & ordinationi adscribunt.

An vero prior fuerit in Deo voluntas negandi remedia, & ad hunc finem ordinem causarum disposuerit, vel contra, non multum curo, dummodo concedant aduersarij, Deum expresse voluisse, paruulis quibusdam negare remedia, quæ humana diligentia ipsis applicari, & prodesse possent nihilominus censco priorem fuisse voluntatem negandi remedia, & ad hoc causas naturales disposuisse. Nam effectus ille comparatur vt finis, cuius voluntas prior esse debet. Cæterum, ne aliqua sequantur incommoda, melius est asserere, voluntatem illam negandi remedia solum fuisse simplicis affectus, antequam causas disponeret, sicut de voluntate reiiciendi hos paruulos à vita æterna diximus disp. 95. cap. 6.

*Secunda
responsio.*

Respondent alij, aliquibus paruulis absque vlla culpa parentum, aut aliorum non potuisse remedia applicari, nihilominus dicendum esse Deum illis prouidisse sufficientia, quæ possent applicari: quia non applicari, pender semper ex aliquo opere voluntario parentum, aut aliorum, etiam si absque vlla ipsorum culpa: vt quod mulier exeat domo, vel aliquid simile voluntarie faciat, quod si non faceret, remedia possent puero applicari. Denique quoties remedia applicari nequeunt, reducunt semper hanc impotentiam in aliquid voluntarie factum à parentibus, vel ab alijs. Verum cum Deus dicitur prouidisse remedia sufficientia paruulis, quæ possent applicari, & hoc in cura aliorum, à quibus deberent applicari, certe non alia ratione paruulis hoc modo diceretur remedia sufficientia prouidisse, quæ applicari possent, nisi curæ, & sollicitudine parentum ea commississet. Quis autem dicat parentibus talia remedia eum commississe, si nulla humana prouidentia ipsi præcauere possunt immaturam mortem infantis, quæ absque vlla ipsorum culpa contingit, vt in casibus ab Aug. expressis: Parum ergo refert, si mulier pregnantis domo libere exeat, libere etiam cubet cum paruulo in lecto, si postea casu, quem præuidere non potuit, infans immature sine baptismo moriatur, vt dicamus curæ ipsius, aut alterius remedium baptismi, qui applicari posset, fuisse commissum.

CAPVT III.

Diluuntur rationes prioris opinionis.

*Ad primum
argumentum.*

Argumenta vero prioris sententiæ facilia sunt. Ad primum respondeo, ex eo, quod paruulis non fuerint applicata remedia ob impedimenta causarum naturalium, quæ nulla humana industria superari potuerunt, non solum sequi, paruulis fuisse denegata remedia efficacia, sed etiam sufficientia. Cum enim dicimus, eis non fuisse concessa remedia sufficientia, quæ applicari possent, non negamus in Ecclesia esse remedia, quæ ex se sufficientia sint, & si applicarentur, effectum haberent: sed asserimus, nulla huiusmodi remedia humana diligentia par-

uulis applicari potuisse. Multis vero adultis concessa fuisse auxilia sufficientia: congrua autem, & efficacia fuisse negata, quia illi reipsa vocati sunt sufficienti tantum vocatione, non efficiaci. Quod si nec sufficienti vocati, nec Sacramentum, quod ipsi sua industria sibi applicare potuissent, fuisset eis concessum, plane diceremus, nullum remedium sufficientem ipsis fuisse prouisum, & oblatum, etiam si in Ecclesia sufficientia Sacramenta instituta mansissent.

Circa alterum argumentum prosper ad obiectionem Vincentianæ c. 1. & ad capitula Gallorum c. 9. affirmat, Christum pro omnibus mortuorum esse quod ad magnitudinem, & potentiam pretij, & quod ad vnam causam generis humani pertinet: non quia omnibus, etiam paruulis, salutem voluerit, & remedia, quæ applicari eis possent, desiderauerit. Et sane duo Scripturæ testimonia, ex quibus colligimus, Deum primariè, & antecedenti voluntate desiderare omnium salutem, de adultis solum intelligenda sunt. Vnum est 2. Reg. 14. Deus non vult perire animam. Alterum prima ad Timoth. 2. Deus vult omnes saluos fieri. In priori namque Sunamitis sententiam illam Dauidi proposuit, vt animum eius ad misericordiam erga Absalonem filium induceret. In posteriori vero subdit Paulus, Et ad agnitionem eius venire, quo indicat, de adultis se loqui. Hortatur enim Timotheum, vt pro omnibus oret, siue regibus, siue in dignitate constitutis; hoc enim acceptum est Deo, vt omnes saluentur, & ad veram agnitionem Dei perueniant.

Cæterum tribus de causis dicere possumus, Christum pro omnibus paruulis mortuorum esse, qui tamen pro Dæmonibus nullo modo mortuus dicitur, primo, quia communis erat causa paruulorum, & omnium hominum, ob quam venerat, & pro qua orauit extra quæ dæmones omnino erant. Secundo quia iuste, & pie credimus Christum non expresse denegasse vllis paruulis meritum suum, & à fructu suæ passionis apud Patrem eos exclusisse, sicut Dæmones reiecit. Tercio, quia non minus pie affirmare possumus Christum voluntate simplicis affectus omnibus paruulis, nemine excepto, etiam post peccatum primi parentis, salutem desiderasset, sicut sibi ipsi vitam concepit; atque ita pro omnibus orasse, vt salutem consequerentur, sicut pro se, vt liberaretur à morte, sed cum ea conditione, quam orationi pro se factæ adiecit. Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Quamuis Hieron., alijque graues auctores parent ea oratione, Transi à me calix iste, pro Iudeorum peccato, qui ipsum occisuri erant, orasse, & eis salutem, gratiamque postulasse. Hoc tamen intelligendum est de paruulis omnibus, qui post Christum natum futuri erant. Nam pro his omnibus, qui antea mortui sunt, orare non potuit, neque gratias agere pro gratia illis omnibus collata, siquidem non omnes consequuti sunt fructum passionis, imo & multis nullo modo applicari potuit. Pro his ergo dicitur mortuus solum, vt inquit Prosper, quod causæ cōmunitatem, & magnitudinem, atque potentiam pretij: nec aduersarij assignare possunt alium peculiarē modum, quo pro illis Christus mortuus esse dicatur, aut pro ipsis mortem suam, & meritum Patri obtulisse. Quo modo autem voluntas Dei erga eos paruulos, quibus nulla remedia applicari potuerunt, se habuerit, disp. 95. c. 6. dictum est.

DISPV.